



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIX. Gregorii Papae I. Ad Natalem Episcopvm Salonitanvm.
Praecipit vt Honoratum archidiaconum suo gradui restituat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

tum prospexeris satis esse, constituas: vt inopia nuditasque eius tali prouidentia possint habere consultum, & vt ea quæ eidem viro deputaueris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac vt & nostram iussionem impleas, & tu quoque hoc ipsum bene disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandum mandare curauimus, veteri quæ iam inoleuerat consuetudine postposita, vt si quæ ciuitates in prouincia Sicilia pro peccatis nostris per sacerdotum lapsus a pastoralis regimine vacare noscuntur, de clero ecclesiarum ipsarum, vel ex monasteriis, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inueniri, perspicias: & ad nos inquisita primitus morum grauitate transmittas, vt grex vniuscuiusque loci per pastoris lapsum inueniri non debeat longo tempore destitutus. Si vero vacantia quidem loca repereris, & nullus tali dignitati ex eadem ecclesia congruus inueniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuntia, vt Deus quem dignum talibus ordinationibus iudicauerit valeat prouidere. Non enim oportet vt vnus excessu grex dominicus per prærupta possit sine pastore diffuere. Ita enim & locorum ordinatio proueniet, & reuertendi lapsis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, suspicio non manebit.

EPISTOLA XIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD NATALEM EPISCOPVM SALONITANVM.

Præcipit vt Honoratum archidiaconum suo gradui restituat.

*Gregorius Natali episcopo Salonitano.*Grat. dist.
74. cap. 2.

GESTA quæ nobis in Concilii vestri confecta secretario direxistis, in quibus archidiaconus Honoratus addicitur, plena esse cognouimus semine iurgiorum, cum vno eodemque tempore vna persona nolens ad sacerdotii ordinem prouehitur, quæ tamquam immerita a diaconatus officio remouetur. Et sicut iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus, ita censendum puto similiter, ne quisquam infons ab ordinis sui ministerio deiiciatur iniuste.

iuste. Verumtamen quia inimica Deo discordia tuas partes accusat, locum & administrationem suam Honorato archidiacono restituas commonemus, atque concordem diuinis ministeriis competens exhibere seruitia. Audiencia & quaestioni nostrae, si adhuc inter vos causa nutritur scandali, praedictus archidiaconus occurrat admonitus, atque dilectio tua pro partibus suis dirigat personam instructam, quibus praesentibus, solatiante Domino, nobis deposito studio personarum, quae competunt fauori iustitiae, decernere valeamus.

EPISTOLA XX.

GREGORII PAPAE I.

AD EVMDEM.

Scribit se gregemque dominicum vt precibus adiuuet.

Gregorius Natali episcopo Salonitano.

SCRIPTA reuerentiae vestrae, quae processioni nostrae ^{Grat. dist.} gratias referebant, offerente Stephano diacono, quem ^{74. c.} ^{Gesta.} direxistis, accepimus: & nimirum valde credenda sunt gratia & studio caritatis impensa, dum pontificatus nostri congaudere ordinem ratio commonebat. Idcirco nos salutationis vestrae causa reddidit latiores, conscientiam nostram indicamus, ipsius honoris onera me aegro animo suscepisse. Sed quia diuinis iudiciis non poteram resultare, necessario mentem meam parti latiori reuocaui. Pro qua re reuerentiam vestram epistolario sermone deposcimus, vt tam nos, quam Christianus grex, curae nostrae commissus, orationis vestrae solatiis perfruamur, quatenus ea valeamus praesidii firmitate procellas temporum superare.